



ACCADEMIA NAZIONALE VIRGILIANA  
DI SCIENZE LETTERE E ARTI

# ARCHIVIO STORICO DELLA VECCHIA ACCADEMIA

Parte II

DISSERTAZIONI ACCADEMICHE

## MEDICINA E VETERINARIA

**Busta 53/17**

Manici (Antonio) prof. di Med. prat. nell' Università di Parma. 22. CXXI.

= Lettera Latina in difesa di certo suo Programma =

Presentato nel 1771.



Cocinijs ac Celeberrimis Viris  
Regiae Academiae Scientiarum,  
et Politiorum litterarum Mantuae  
Praefecto Amplissimo  
Moderatoribus Sapientissimis  
Sodalibus Praeclarissimis.

Antonius Manici  
in Parmensi Archigymnasio  
Practicae Medicinae.  
Regius Professor Primarius. &

Perennem Felicitatem.

Cum eruditorum qui hac in florentissima Regia  
Parmensi Academia et Civitate antecellunt recentis cujusdam Opus-  
culi mei de Apoplexia quaecumque ipsud sit mox subijciendum  
versari prae manibus coeperit Programmata factum est ut subobs-  
cura quaedam sed comitate plena vociferatio me admoneret  
quod docti isti ac prudentes Viri in singulas hujus Programmatis  
partes serio, graviterque animadvertent. De eorum tamen in hoc  
idem Programmata et Opusculum iudicio, certi quidpiam ex litterariis  
ipsorum penetrabilibus serui tunc temporis haud poterat atque explo-  
rari. Vix autem ab ineunte nuper aelapso anno, ut et deinceps in ejus  
progressu, cum tingeret extra has Regias Scholas ejusdem Opusculi  
quod inter lectionum frequentiam earum gratia, conscriberam  
in dies, circumferri paginas contigerit, ea valde percrebuit vocifera-  
tio, atque ex subobscura clarior sensim facta est adeo, ut de ingenio

atque

atque humanissimo quod enixe cupiebam, in hujusce Opusculi Program-  
ma, egrumdem iudicio fideli me certiozem faceret renunciatione.  
Horum itaque plures methodum, ac rerum ordinem in hoc Program-  
mate delineatum, probare frequentius audebam. Aliis vero ean-  
dem methodum arridere quidem, satis perspectum habui, magis  
tamen ab ipsis pro solidioribus cuedendis scriptis, et completis in  
publicam lucem proferendis operibus, comendari intelligebam,  
quam pro scholarum usu et practicis adolescentum Institutio-  
nibus. Inter hos autem praecclarissimos viros, vel unum exarisse  
qui aperte novam hanc a me susceptam docendi methodum, vel  
minus utilem duxerit, vel tutioribus practicae medicinae infensam  
progressibus dijudicaverit, mihi potuit innotescere. Ast cum in uno-  
quoque ex praefatis mihi perpetuo colendis viris, jamdiu noverim  
miram proorsus, eamque omnigenam doctrinae atque eruditionis  
copiam summa cum modestia, humanitate, ac prudentia sanctis-  
simum veluti foedus iniisse, dubitare idcirco coepi, ne si quae gravio-  
ra eorum aliqui adversus hanc methodum, ac praesertim in hoc  
de Apoplexia Opusculum, objicienda haberent argumenta, ipsos  
equidem, ne palam illa proferrent, animi moderatio detinu-  
erit prope modum singularis.

Quippe tamen eo usque deducta res est, ut non nulli ex  
istis probatissimis viris, quorum amicitia mirifice delector, velle me  
suadere niterentur, ut idem hoc Opusculum, quemadmodum et alia  
ex multis quae a me ipso in hisce Regis Scholis traduntur, in publicam  
lucem haud recusarem quandoque proferre, illud sincere profiteor,  
ex hujusmodi licet humanissimis cohortationibus, animum meum commotum  
fuisse valde, ac perturbatum. Quis enim publici iudicii severitatis, dignitatis,  
auctoritatisque non nescius commoveri non posset ac perturbari!  
Jamdiu sane est, ex quo frequenti edoctus observatione didici,  
per multa nimis ea scripta, et Opuscula esse, quae hoc praesertim

sexim aevo, sapientum adeo comendationibus desituntur, ut eo-  
rum nunquam renovari desiderentur aeditiones. Contingere idcirco  
frequenter novi post unam illorum aeditionem cum degustata  
vix fuerit, qua scitent eruditio et doctrina, ita superabundare  
unicae illius aeditionis exemplaria, ut eadem plurima etiam copia,  
et non mediocri cum scriptorum suorum dedecore perpetuo, vel  
apud ipsos deliteant suos auctores, vel in remotioribus bibliopolarum  
repositoriis oblivioni ac tinae pabulo quiescant damnata. Quamob-  
rem haud scirem in praesens significare num majori cum indigna-  
tione an comiseratione plurimum ex hisce infelicissimis scriptoribus,  
persaepe reminisci impudentiae soleam, qua intolerabili cum civi-  
lis societatis molestia, penes minus cultas gentes, interposita  
loquaci et garrula quorundam modicae scientiae hominum, quibus  
in Gorgia sua irridet Divinus Plato, insinuatione et opera execrabili  
venalis mercimonii et lucri prostitutione, cum proptii decoris, sum  
expensarum, quae in operum suorum aeditione fidenter nimis pro-  
fuderunt, redimere satagunt, iacturam. Cum tamen animadver-  
terim honesto viro haud licere amicorum, quos probitatis, atque  
eruditionis causa plurimi facit, voluntati omnino reluctari;  
neque mihi perspectum sit, eum me esse, qui hac in re, qua decet  
praestantia et dignitate eorum votis, atque expectationi pos-  
sim respondere; in hanc tandem sententiam deveni, ut scilicet  
medicis aepistolis, aut succubrationibus, vobis acribus, aut opusculis,  
ei non obsimilibus, quod in adjuncto enunciatus Programmate,  
de praestantioribus mihi ipsi tum in facienda tum in docenda  
medicina obventis theoretico-practicis momentis, ipsorum volun-  
tati satisfacerem, atque obsequentis amicitiae meae officis. Hasce  
vero qualescumque studiorum meorum productiones, non  
prius absentiar pervulgari, quam fieri cautior potuero, sin mixtis  
de publici iudicii comendationibus, de quibus ne vix quidem mihi

spondere

spondere audeam, de ea saltem illius venia, cui liberales nimis superbia non adtulerit, vel humanitas in concivem, vel in Comprofessorem comitas, et amicitia.

Enim vero cum jam fere a biennio, munificentissime Augustissimi Principis nostri clementiae auspicio, ac jussu in Regia hac Celeberrima Universitate sua fuerim a primaria Theoreticae ad primariam practicae vel potius Theoretico = practicae medicinae Cathedram translatus: ex hoc sane mihi honorificentissimo eventu multo opportunior, quam antea mihi ipsi pro utiliori ad scribendum comparanda supellectile, oblatam esse intueor occasionem. Quod si in caeteris Theoretico = practico medicinae expendendis rebus, severiores occupationes meae impendere satagam, multo equidem majori conatu studia mea ad pervestigandas convertam endemicas, et epidemicas Parmensis Coeli constitutiones. Ad hujusmodi **vero** studium non modo novum in Regio hoc Archigymnasio, mihi demandatum munus, atque in publicum bonum concivis amor, ac sollicitudo me urgent, ac quodammodo compellunt, sed gratius insuper me ipsum invitat animus, quo nonnulla hujusmodi superioris anno, ac praeceluis, quam diligentius, a me collectam tradere curavi de endemica quadam Parmensi montana Pyrosi historiam excerpta fuisse satis cognovi, et quaedam insuper hujusce generis ex me desiderari haud raro mihi ipsi obtingat intelligere. Quem porro in finem diversas etiam mihi impostetum perpendendas febriles proposui constitutiones, quae ab quarto jam aelapso lustro in haec usque tempora in Regiam hanc irrepserunt Parmensium ditionem, cujus propterea nonnullae regiones per multam ab illis sibi illatam adhuc lugent coedem. Utinam tamen me quandoque haud contingat penitere quod de hisce constitutionibus velle me quamprimum in nostris Scholis tractationem exhibere, in scriptis meis nuper auferim polliceri. Si autem quidquam certi

per observationes mihi statuere quandoque licebit de principiis & ratio-  
nis relationis inter metheorologica constitutiones Parmensis Coeli, et  
humanae constitutiones incolarum, qui sub hoc degunt climate; quemad-  
modum praestare aggressus sum in peruestiganda mox dictae Ende-  
micae Parmensis Montanae Pyrosis aetiologia: tunc quidem non omni-  
no fortasse promissis fidem despondebo; neque tantae appetitatis disqui-  
sitio praeliminari deskrivetur, quanto in sui resolutione difficili-  
tate magis pro eadem tuto ac salubri obfirmanda ratiocinio, non  
utili tantum, sed absolute necessario. Id equidem eade causa ratum  
habui, atque indubitanter confirmatum, quod si in caeteris quibuscum-  
que morbis praecipuum curativae methodi fundamentum ex-  
pressius determinata, quam proxime fieri possit educendum sit ad huc  
superstite in aegrotantibus humanis corporibus naturae magnitu-  
dine seu virium motricium quantitate; quanto igitur difficilius, ne  
impossibile dicam futurum erit, pro tuto, et salubri curationis regi-  
mine in multigenis id consequi morborum constitutionibus, et maxime  
febrilibus, nisi prius exquisitiori diligentia, et studio datum aliquod  
certum poterit obfirmari de principiis verae relationis inter modo  
dictas constitutiones metheorologica, atque humanae.

Non absque tamen hoc loco meminisse crediderim,  
quod novissimis annis, quibus in Regio hoc Archigymnasio, Theoretici-  
cae medicinae tradebam institutiones, in eo munere, illi non valde  
absimili progredi coeperam methodo, quam pro iisdem institutioni-  
bus proposuerat Excimius Schreiberus. Cum mihi vero satisfutite in  
ea docendi methodo, visum non fuerit, singulis physiologiae partibus  
totidem ex simplici pathologia physica illis respondentes injungere  
et conjunctim tradere quemadmodum jam praestaret celebris ille  
Archiatrus Russicus; magis propterea ad rem, ac pro solidiori adstru-  
enda theoria, utilius arbitratus sum, potiora etiam verae patholo-  
giae medicae momenta, prout occasio suadebat, identidem inferere.

Quare post habitis inanibus speculationibus, ac praecariis hypotesibus  
ablegatis, in illud praecipue enitebatur studium meum, ut, Theoreti-  
carum hujusmodi institutionum praesidio, ad tutiorem postmodum  
capescendam medicinae praxim imbuerentur commodius, ac proxime  
magis disponerentur adolescentum animi. Ita namque praeter ac-  
curatiorum, quam per me fieri poterat, aetiologiam morborum,  
quia laesis proficiscuntur diversarum humani corporis partium  
actionibus, et principia insuper sum pro comparanda vel minimum  
aequivoca, de primariis eorum generibus semeiologica cum etiam  
pro individuali, eaque clariori, de illorum speciebus, adstruenda noso-  
logia, ipsos edocere haud praetermitebam. Nunc igitur cum practicas  
seu Theoretico-practicas mihi praelectiones in cum balo ordinate pro  
iis ipsis adolescentibus disponere, qui primordia in praefatis insti-  
tutionibus, nonnihil obumbrata, susceperunt practicae salutariis artis  
desineamenta, vel aliam idcirco minus ancipitem, magisque expe-  
ditam pro hac novissima studiorum suorum progressionis utilius  
absolvenda periodo, me potuisse meliorem praeead deligere, quae  
per morborum genera, et species similiter progredereletur. Quem  
sane rerum ordinem, et distributionem cum iuxta diversas morbo-  
rum tractationes locupletem magis, magisque explicatum mihi  
proferre licuerit, quam in praefatis mere Theoreticis institutio-  
nibus posse fieri, earum pateretur natura, et conditio, tunc equi-  
dem mihi posse visus sum polliceri, quod ne vix fortasse alia, aequae  
facili, et jucunda ratione, in eadem studiorum progressionem praeeos  
medicinae patefieri posset Tyrocinii aditus, neque ad feliciores in ipsa  
salutari arte assequendos progressus brevior posset, minusque aspe-  
ra, et tutior via insterni, et complanari. Praeterquamquod, et quaedam  
insuper ad hanc eandem scribendi, docendique methodum, necessi-  
tas in praesens me urgeret vel invitum: ne scilicet iidem adolescentes,  
qui nuper meorum practicae, seu Theoretico-practicae medicinae

facti sunt praedlectionum auditores, pergravi studiorum suorum  
mora, ac molesta nimis eorum satietate, ab ea cogitandi avocentur  
ratione, cui dum Theoreticae ex me ipso imbibebant institutiones,  
animum suum plurima assueverant cum voluptate, ac non me-  
diocri insimul, ni pessime fallor, cum progressu. Non omnino fortas-  
sif. obscurum hujusce methodi exemplar ex adjuncto affulgebit  
Programmate. Generalem pro hac ipsa in Theoretico = practico  
medicinae rebus concinnanda methodo, me celeb<sup>mo</sup> Fe: Sauvages  
ideam debere sancte, ingenueque profiteor. Numas Erud<sup>mo</sup> hoc  
Viro de hac scribendi, docendique ratione opportuna cum sobrie-  
tate ac moderatione hanc eandem hauserim ideam, lubens indul-  
gebo, ac reverens, ut libere quisquis ex hoc ipso Programmate  
queat iudicium ferre.

Illud denique silentio praeterire haud possum;  
cordi scilicet mihi summo opere inesse quod si a me suscepta  
studiorum methodus correctione videatur indigere vel utiliori  
qualibet moderatione, id mihi ipsi sapientum iudicio datum sit  
cognoscere. Quamobrem vos in praesens obsequenter rogo Eximi-  
ae celeb<sup>mi</sup> Viri ne mihi inobservantiae velit, ac minus consul-  
ti vertere ausus vitio, si coram Supremo Regiae Academiae Ves-  
trae Magistratui fuscas, atque ineptas hujusce qualiscumque  
Programmatif mei squallentes pagellas sistere praesumpserim.  
Minus equidem magnifice de omnigena sapientia, eruditione,  
et doctrina vestra; minusque gratiose de humanitate pru-  
dentia, et consilio vestro, caeterisque virtutibus sublimioribus  
me opinari, ac sentire oportuisset si temperare ita, et cohi-  
bere desideria mea debuissim, ne modo vos ipsos de sapientif-  
simo vestro in meum hoc Programma iudicio, obsequentissime  
auderem deprecari. Constanti idcirco asseveratione vobis  
affirmo, atque in me ipsam fideli sponsione recipio, quod

summo mihi metipsi beneficio, decori, et gloriae adscribam per-  
petuo si castigatione ac monitis vestris ad meliorem, utilio-  
remque cogitandi, scribendi, docendique rationem illuminari, qua-  
doque poterit excitari atque converteri. Valete ergo Celeb<sup>mi</sup>  
ac Sapient<sup>mi</sup> Viri, atque ad universae litteratorum reipubli-  
cae perpetuum decus, ornamentum, et gloriam, iterum valete.  
Babam Parmae VIII. Idus Februarii MDCLXXI.

Ex Tractatu Morborum Capitis  
Publicis accomodato Praelectionibus  
in Regio Parmensi Archigymnasio habitis anno. MDCCLXX.

Programma  
Opusculi theoretico-practici  
De Apoplexia

Prolegomenon  
Disquisitio critica in characteristicas comatosi, et  
paralytodei morbi praenotiones.

Caput Primum  
Apoplexia ut genus.  
Articulus Primus.  
Semeiotica disquisitio in selectiore scum veterum, cum  
recentiorum medicinae scriptorum apoplexiae def:  
initiones, seu descriptiones ejusdem characteristicas.

Artic: II.  
Apoplexiae definitio nostra, ejusdem explicatio, et  
cum jam praemonstratis comparatio.

Artic: III.  
Innovatae disquisitiones cum animadversionibus criti:  
cis in genericam apoplexiae symptomatologiam.

Artic: IV.  
Comatoso = paralytodeus apoplexiae ut generis character  
ex praemissis definitionibus, seu characteristicis descriptio:  
nibus elicitus, demonstratus ex insitutis disquisitionibus, at:  
que animadversionibus criticis, ex observatione confirmatus, et praxi clinica.

Artic: V.  
Historica apoplexiae aetiologia.

Artic: VI.  
Animadversiones in antejactam apoplexiae historicam  
aetiologiam.

Artic: VII.

Articulus VIII.

Sedes Apoplexiae; observationes cum alienae, tum etiam  
propriae in eandem, et animadversiones.

Articulus VIII.

Apoplexiae superventurae Semeiotica.

Articulus IX.

Clinica praesentis Apoplexiae diagnosis.

Articulus X.

Apoplexiae praesagiorum Semeiotica.

Articulus XI.

Apoplexiae ut generis Therapeja

Caput Secundum

Praecipuae species Apoplexiae per individualem  
singularum nosologiam, ac Therapejam specialem  
expensae, respective pro iisdem medicinales formulae  
cum adnotationibus in earum materiam medicam, et  
clinicum regimen.

Articulus Primus

Apoplexia Sanguinea

Articulus II.

Apoplexia Serosa.

Articulus III.

Apoplexia Arthritica

Articulus IV.

Apoplexia Strabitaris

Articulus V.

Apoplexia spasmodica, seu convulsiva: in hujus cura:  
tione prophylactica mentio aliqua de physicis qualita:  
tibus, ac virtute pro balneis universalibus aquarum  
dulcium, quae in Parmensi decurrunt Agro; deque su:  
arum qualitatum alterationibus in diversis fluminum  
alveis, et sectionibus. Ex fluminibus Parmensis regionis Parma  
scilicet Taro, Coeno, et Aenza, aut ex Torrentibus Baganzia,

Parmosa

Parmosa, Bardea, et Coedra vocatis, quatenus pro  
iisdem balneis praeferrenda aliis sint aquae, et ex  
quibus praesertim deligenda eorum sectionibus, et  
alveis.

Artic. VI.

Apoplexia fitteratorum, ubi aliqua mentio et observa-  
tiones propriae de nonnullis <sup>epuor</sup> morbis ab infirmato cerebro,  
ejusque spirituum consumptione immōdica, vel im-  
modica simul, et veloci.

Scholia

in recensitas apoplexiae species.

Scholion Primum

In relationem aliarum apoplexiae specierum ad  
species expositas.

Schol. II.

In apoplexiam Agonisticam, atque in febrilem Werthofii.

Schol. III.

In apoplexiam Temulentam Henrici ab Heers, et an rec-  
tius talis dicenda sit apoplexia ab oppio.

Schol. IV.

In apoplexiam Traumaticam Sauvages, sive phleg-  
monosam Foresti, vel inflammatoriam Boerhaavii.

Schol. V.

In apoplexiam Suspiriosam Cussonii; et num verius  
ecclampsia haec sit comatosa = suspiriosa.

Schol. VI.

In apoplexiam Polyposam Boerhaavii, et Oosterdijck  
Schacht; et cur haec quandoque paradoxa.

### Caput Tertium

Generales in quolibet apoplexiae species animad-  
versiones Therapeuticae.

Artic. Primus.

Articulus Primus.

Emeticorum in Apoplexia regimen delectus, et  
Formulae cum adnotationibus in hanc materiem  
medicam, ac speciatim in hypecacuannae delecti-  
tum, et praeparationes chemicae Tartari emetici.

Articulus II.

Topicorum in Apoplectica paralisi regimen, atque  
delectus, mentio aliqua de Thermali balneo fixiniano,  
de futo et curcutionibus Nypae altae de aquis, et futo  
puteorum petrolei in villis Ozzani, Felegariae, et Mi-  
ani, deque sulphureis aquis, et limo bituminoso  
cujusdam Fontis Villae Ruzzani, omnibus Regii  
Parmensis Agri productionibus.



